



Band II



L 15 459.3

Archiv 104

No 545-704.

111
111

Q. B. F. Q. E.

TABVLA
SOLEMNIS

CIRCA

FELIX AVSPICIUM
DIGNITATIS CONSULARIS
A. R. O. MDCCX, d 23. Januarii
in Republica Budissinensi initum,

Viro Amplissimo, Prænobilissimo, Consultissimo
Eruditissimoque

DN. CASPARE
CHRISTIANO
HÜBSCHIO,

J. V. L. Celeberrimo, Hæreditario in Niederkeina &c.

Dn, Patrono Mæcenati ac Promotori suo,
Submissis Obsequiis colendo

Solemni Ritu

Secundum Consuli Creato

Ex humilis Observantiæ Lege.

suspensa

A

DN. RECTORIS M. JOA. SCHVLTZII,
CONSALINIS OBSEQVIOSISSIMIS.

BVDISSÆ, Literis RICHTERIANIS.



N Te nunc oculos vertit, Venerande
 Senatus,
 Omnis, qui patrios incolit Urbis a-
 gros;
 Gaudia læta capit, post tristia Fata
 BUDISSA,

Gaudia, quae Summus dat generatque DEUS,
 En! omnes Patrii Cives unò ore precantur,
 Et tali incipiunt insonuisse modò:
 Vive! Regens Consul, reliqui florete! vigete!
 Conscripti Patres, Membra Colenda Fori,
 Annua sit verè felix Electio Vestra,
 Sic pariter felix stare BUDISSA potest.
 Quis nostris igitur prohiberet plaudere Musis?
 Illis quis, quæso, fundere vota vetat?
 Nonne decet Musas? Fautor si est nactus honores
 Illi gratari, Votaq; ferre pia:
 Convenit omnino læte gratari, atque
 Hoc ratio, hoc pietas, officiumque jubent:
 Salve! ergo nostræ Lumen Columenque Budissæ
 Eximium, salve! Præsidiumque Scholæ,
 Tuque Caput Pulchrum Fautor Pulcherrime,
 salve!
 Nec temnas, quæ jam dedita Musa canit:

Inservire Tuæ cupiunt hæc Carmina, Famæ,
Et Pulchris Meritis Tura litare volunt,
Pulchra dies hæc est, pulchrò signanda lapillò
Quâ Consul Pulcher Mœnia nostra regit:
HVBSCHIUS, en! Pulchrum Nomen, fit
Consul in Vrbe,

Urbs benè quem noscit Dexteritate suâ,
Totaque Consiliis quem noscit Curia gratis
De bene-quem-factis hæc Schola nostra colit;
Nunc fortunatam Te dic faustamque, **BUDISSA**,
Hic pulcher pulchrè Te reget atque teget,
Contineas lacrymas; quas elicuere furentes
Flammae, contemplans flore, vigore, Patres,
Fata Viros certè Tibi concessere, regundæ
Vrbis qui partes sanctè obière suas:

An nescis? quis Te transacto rexerit anno
HEINRICI num Te provida cura fugit?
Hunc non pœnituit multos perferre labores,
Consulat ut Patriæ prospiciatque benè
Est hic Delicium nostrum & quis nescit amorem?
Quò colit ob Merita hunc tota **BUDISSA**
Virum,

Est hic Mecœnas alter, cui tempora longa,
Et nos optemus, Nestoreolque dies,
Nunc hic deponit falces, succedit at alter
Qui nec Iustitiâ nec pietate minor.
HVBSCHIUS est supra dictus qui Consul is
illud

Sacratum munus denuo suscipiet,
Hunc penes est jamjam communis cura salutis,
Nec fuit in tanto Lectio vana Viro;
Metra **DEO** canta, precor hinc, Mater alma, **BUDISSA**
Qui dedit, hoc Pulchro Te Patre posse frui,

Tu, sed quæ restant, nove Consul, Summe Patrone,
Oblata hæc felix munia clara tibi!
Sit Regimen pulchrum, sit faustum, sit benedictum,
Concedat Vires Summus JÖVA Tibi,
Tristitiæ nubes fugiant, redeatque ferena,
Lux splendore suo Teque Tuosque beans:
Florescat Tecum reliquus sacer Ordo Senatûs!
De quorum pendet nostra Salute Salus,
Consiliis Vestris benedicat Gratia cœli!
Ut capiat fructus inde Budiffa novos.
Interea blando capias hæc Carmina vultu,
Quo Musas humiles exhilarare soles,
En! Tibi nos omnes Musas tenuesq; dicamus
Nos modo complecti perge favore Tuo.



Oberlausitzische Bibl. Görlitz

1066905 1